

rum domus in sepulcro, tua in paradiso. Unde pulchre vigilare eos in tumultu Job dixit; quia soporem quietis habere non possunt, quem ille dormivit, qui resurrexit.<sup>1)</sup> Noli igitur ut parvulus sapere, ut parvulus loqui, ut parvulus cogitare, ut parvulus vindicare ea, quae sunt posterioris aetatis. Perfectorum est corona. Expecta, ut veniat, quod perfectum est, quando non per speciem et in aenigmate, sed facie ad faciem formam ipsam redopertae veritatis possis agnoscere. Tunc qua causa ille dives fuerit, qui erat improbus et raptor alieni, qua causa potens alius, qua causa ille abundaverit liberis, ille fultus honoribus, revelabitur. Fortasse ut dicatur raptori: Dives eras, qua causa aliena rapiebas? Egestas non compulit, inopia non coëgit. Nonne ideo te divitem feci, ut excusationem habere non possis? Dicatur etiam potenti: Cur non affuisti viduae, orphanis quoque injuriam patientibus? Numquid tu infirmus eras? Numquid non poteras subvenire? Ideo te feci potentem, non ut inferres violentiam, sed repelleres. Nonne tibi scriptum est: Eripe injuriam accipientem?<sup>2)</sup> Non tibi scripsum est: Pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate?<sup>3)</sup> Dicatur etiam abundanti; liberis et honoribus cumulavi te, salubritatem corporis concessi tibi, cur non secutus es praecepta mea? Famule meus, quid feci tibi, aut quid contristavi te?<sup>4)</sup> Nonne ego tibi liberos dedi, honores contuli, salutem donavi? Cur me negabas? Cur aestimabas, quod ad scientiam meam, quae gereres non pervenirent? cur tenebas dona mea, dispiciebas mandata mea? Denique de Juda proditore haec colligere licet, qui et Apostolus inter duodecim electus est, et oculos pecuniarum, quas pauperibus erogaret, commissos habebat, ne videretur, aut quasi inhonorus, aut quasi egenus Dominum prodidisse. Et ideo ut justificaretur in eo Dominus, haec ei contulit, ut non

1) Joh. 21. 2) Eccl. 4. 3) Ps. 81. 4) Mich. 6.